



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE***CHRISTUS PASSUS EST* \* VENERABILI DEI SERVO LEONARDO OLIVERA BUERA ET XXIX SOCIIS BEATORUM HONORES DECERNUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — « Christus passus est pro vobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius » (1 Pe 2. 21). Superioris saeculi Ecclesia ab innumeris filiis magnificata est qui in fide usque ad vitae exitum perstiterunt, per martyrium testificando se penitus adhaerere Evangelii doctrinae. Inter eos, qui Iesu semitam, in Calvariae viam ducentem, calcarunt, Venerabiles Dei Servi Leonardus Olivera Buera et XXIX socii reperiuntur, religiosi scilicet viri et religisae sorores quibus operantibus, precantibus officiaque religiosa sustinentibus, martyrium fere posuit sigillum. Hispanico bello annis MCMXXXI-MCMXXXIX saeviente, illi interierunt, cum in Ecclesiam persecutio violenter incumberet, compluribus sacerdotibus, religiosis laicisque propter fidem occidentibus. Triginta Venerabilium Dei Servorum manipulus, qui hic memoratur, unum sacerdotem, quinque religiosos Instituti Fratrum Scholarum Christianarum atque viginti quattuor sorores Congregationis Sororum Carmelitarum Caritatis complectitur, et ipsi anno MCMXXXVI necati sunt. Ii fuerunt: I. Leonardus Olivera Buera, sacerdos archidioecesis Caesaraugustanae. Paroeciam oppidi «Movera en Puente Gallego» curavit idemque cappellani sustinuit munus Communitatis Fratrum Scholarum Christianarum Collegii Dominae Nostrae «de La Bonanova» ibidemque iuvenes spiritaliter coluit.

Fratrum Scholarum Christianarum coetum tres Fratres Communitatis Dominae Nostrae «de La Bonanova» ac duo Fratres Comrnunitatis oppidi «Cambrils» apud Barcinonem complectuntur, videlicet:

- II. Honoratus Andrea
- III. Florentius Martinus
- IV. Ambrosius Leo
- V. Elias Iulianus
- VI. Bertrandus Franciscus

Viginti quattuor Sorores Congregationis Sororum Carmelitarum Caritatis mulieres simplices fuerunt ac simul strenuae, quae caritatis studio flagrabant.

En earum nomina:

- VII. Elvira Torrentallé Paraire Nativitatis Dominae Nostrae
- VIII. Rosa Pedret Rull Dominae Nostrae Boni Consilii
- IX. Maria Calaf Miracle Dominae Nostrae Providentiae
- X. Maria Desamparados Giner Lister Sanctissimi Sacramenti
- XI. Francisca de Amezua Ibaibarriga Sanctae Teresiae
- XII. Teresia Chambó y Pales Divinae Pastoraе
- XIII. Agatha Hernández Amorós Dominae Nostrae Virtutum

XIV. Maria Dolores Vidal Cervera Sancti Francisci Xaverii

XV. Maria de las Nieves Crespo López Sanctissimae Trinitatis

XVI. Ascensio Lloret Marco Sancti Iosephi Calasanctii

XVII. Maria Purificationis Ximénez Ximénez Sancti Iosephi

XVIII. Maria Iosepha Del Rio Messa Sanctae Sophiae

XIX. Niceta Playa Xifra Sancti Prudentii

XX. Paula Isla Alonso Sanctae Anastasiae

XXI. Antonia Gosens Sáez de Ibarra Sancti Timothei

XXII. Daria Campillo Paniagua Sanctae Sophiae

XXIII. Maria Concepta Odriozola Zabalia Sancti Ignatii

XXIV. Erundina Colino Vega Dominae Nostrae Carmeli

XXV. Consolata Cuñado Gonzalez Sanctissimi Sacramenti

XXVI. Feliciana de Uribe Orbe Dominae Nostrae Carmeli

XXVII. Maria Concepta Rodríguez Fernández Sanctae Magdalenae

XXVIII. Clara Ezcurra Urrutia Dominae Nostrae Spei

XXIX. Iusta Maiza Goicoechea Immacolatae

XXX. Candida Cayuso González Dominae Nostrae AngelorumSuam propter vitae sanctimoniam, actuositatem ac potissimum cruentam mortem, cui illi aequo laetoque animo occurrerunt, triginta Servi Dei germani fidei martyres habiti sunt. Quapropter Archiepiscopus Valentinus beatificationis Causam incohavit, Processum Ordinarium Informativum celebrans annis MCMLII-MCMLVI. His igitur absolutis rebus quas Congregationis de Causis Sanctorum normae praecipiant, die XX mensis Decembris anno MCMXCIX Nobis coram de Martyrio Decretum prodiit. Statuimus igitur ut beatificationis ritus una cum Iosepho Aparicio Sanz multisque aliis fidei testibus Romae die XI mensis Martii anno MMI celebraretur. Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri patente, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos vota Fratrum Nostrorum Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, Richardi Mariae Cardinalis Carles Gordó, Archiepiscopi Barcinonensis, et Francisci Ciuraneta Aymí, Episcopi Ilerdensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Aparicio Sanz et ducenti triginta duo Socii Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die vicesima secunda Septembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quibus prolatis verbis, annuntiatos beatos Ipsi Nos debita devotione venerati sumus, admirantes tantam ipsorum pro Domini amore alacritatem, omnesque christifideles de eorum virtutibus et vita breviter edocuimus, eos simul exhortantes ad beatorum fidem et bonis in operibus explendis constantiam pie imitandam. Magna quidem commotione ineffabilique laetitia impleti propter hanc mirabilem tot martyrum glorificationem, fidem eorum et virtutem publice laudavimus, eosque venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Martii anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

---

SODANO

\*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 12, pp. 831-833 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana